

infelix contigit, omni qua posses, contentio-
ne excoleres & subinde polires. Factum sic
deinceps, ut ab VNIVERSITATIS nostrae
unitis suffragiis Sacerdotio Lebusano admotus
sis, in quo tuo munere ita te haecenus exhi-
buiſti, ut cum aliis Patronis tum praecipue
Heroi Strenuo ac Illustri de MILKAV, cujus
clientelae auditores Tui subjecti, non modo
proberis, verum etiam variis benignitatis ac
benevolentiae documentis cohonesteris: Prae-
terea modestia & reliquis virtutum vinculis
adeo devinctum *ſcitur celeberrimum* BEYER-
RVM nostrum Tibi reddidisti, ut affinitatis
non modo, verum etiam amoris tenerrimi nexu
te complectatur: Quo sicut nomine te eo
amo impensius, ita omnia ista testatum faci-
unt, te ab ultima juventute illuc animum con-
vertisse, ubi optimis semper esses probatus.
Eoque major ad honestum quodque elucescit
impetus Tuus, quando ad exercitandas inge-
nii vires ac declarandos in disciplina sacra
profectus cathedram nostram publice con-
scendere, & argumentum praesens satis intri-
catum excutere disputantium more animum
indu-